UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Jncipiens à Juliano Apostata Jmperatore, perducitur vsque ad obitum Theodosii Augusti: continet annos XXXIV.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Francisci Bencii È Societate Iesv Ad Tomvm Qvartvm Annalivm Ecclesiasticorvm R. P. Caesaris Baronii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14548

Visual Library

FRANCISCI BENCII
E SOCIETATE IESV
AD TOMVM QVARTVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM R. P. CÆSARIS BARONII.

QVIS tibi iam validas, CÆSAR doctiſsime, vires
Sufficit, & tantis cumulat pia pectora donis,
Vt, quoties nouus annus init, nouus exeat à te
Fructus, & in meſſem pariter noua gramina creſcãt?
Vnde tibi tam laſtus ager? quis temperat auras,
Et tempeſtiuo pluuias diſcriminat aſtu,
Maturis ne fortè calor, neu frigora deſint
Frugibus, vt primum iacto de ſemine terra
Spem ſegetis cupida arripiens ſub viſcera condit?
Tertius ingenij partus ſe fuderat anno,
Et ſæclo attulerat miranti gaudia: quartum
Surgit opus, quintoq; affecto: dein ordine ſextum
Inſtat: vt ex vno ſint talia penſa quotannis,
Qualia non annis alius queat omnibus, vno
Non valeant anno coniunctis viribus omnes.
Mens adeò fœcunda boni, fœcundaq; mentis
Lingua effert arcana ſuæ, mox pagina ſollers
Excipit, vt nullo celebrentur fine per orbem.
Non opis humanæ hoc, CÆSAR: maiore magiſtro
Res agitur: Deus ipſe animos viresq; ſecundas
Subijcit, afflatu Matris: tu namq; vocare
Hanc ſolitus, dubijsq; tuis expoſcere rebus:
A qua principium, cui deſinis. Ergo age, quando
Iamdudum Annales, quos & labor annuus æquat,
Cum fructu aſsiduo commendat plurimus vſus:
Illam etiam ſupplex ora, tibi proroget æuum,
Omnia dum poſsis annorum euoluere ſæcla.
Ipſe ſua labor æternum ſe ſponte propagat:
CÆSARIS Annales vt nulla oblitteret ætas,
Dum referent ſeſe voluentia ſæcla per annos.